



**R. P. Christophori Gillii, Ex Brigantio Lvsitaniæ, Societatis
Iesv, Et in Conimbricensi Academia S. Theologiae
Professoris; Commentationvm Theologicarvm De Sacra
Doctrina, Et Essentia atque vnitae ...**

Gil, Christovão

Coloniae Agrippinae, 1610

De veritate propositionum, quæ in terminis diuinis enunciant aliquid
ablatiuo casu. cap. 15.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-82291](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-82291)

Canon. citato definitis in nullo sensu Catholico posse negari huiusmodi propositionem: *Deitas est Deus*: deducitur vero ex dictis cap. 8. ubi ostensum est has propositiones esse veras, *Deitas est Deus, sapientia est sapiens*, & similes: nam veritas earum non fundatur in identitate, aut suppositione, pro materiali significato, sed in connexionione formalis significati prædicati cum subiecto: in hoc autem consistit ratio veritatis formalis. Secunda quoque pars simili ferè argumento concluditur: nam rationes superiores, & intrinsecæ formis abstracte significatis applicantur, & conueniunt ipsis, non ratione alicuius materialis significati, pro quo utræque supponant, sed ratione formalis significati per nomen prædicati, quod per se conuenit subiecto: si ergo aliunde non repugnat, ut concreta verè prædicentur de abstractis, ut nō repugnare in terminis diuinis ostensum est loco proximè citato, propositio, in qua concretum absolutum verè enunciatur de forma abstracte significata, quæ est inferior, & essentialiter subordinata formali significato prædicati, erit vera in sensu formali: qua ratione verè dicitur in sensu formali, *Deitas est Spiritus, viuens, substantia, ens*: Denique tertia pars ostenditur ex dictis, quoniam forma extrinseca non apte prædicatur per nomen absolutum de altera forma abstracte sumpta: at vero in terminis diuinis significatum nominis concreti absoluti, si comparetur cum rationibus formalibus disparatis, nostro modo intelligendi, habet se per modum formæ extrinsecæ, non intrinsecæ: ergo non potest apte prædicari de illis per inhærentiam, siue in sensu formali: & idè hęc propositio, *Sapientia diuina est Deus*, non est vera in sensu formali, sed in identico, quia scilicet vterque terminus supponit pro essentia diuina.

De veritate propositionum, quæ in terminis diuinis enunciant aliquid ablatiuo casu.

CAPVT XV.

- I. **S**uperest, ut explicem quomodo sint veræ propositiones, quæ ablatiuo casu enunciant quali principium actus, & quæ formam denominationum, quæ Deo tribui solent. Quam quæstionem attingit, nec dissoluit Richardus de sancto

Rich. Viſtor.

Victore lib. 2. de Trinitate cap. 22. ubi de Deo loquens sic ait. *Quid ergo, si idem est eius immensitas, quod bonitas, nunquid erit immensitate sua bonus? si idem est eius bonitas, quod immensitas, nunquid erit bonitate sua magnus: sed bonitas videtur pertinere ad qualitatem, immensitas ad quantitatem: quid ergo erit ne qualitate magnus, & quantitate bonus? Et ad hæc quis idoneus? Et paulò post proposita simili terè quæstione ita concludit. Ex his perspicillè est intelligere, quam sit ineffabile, imò & incomprehensibile, quod ratio ratiocinando compellit de Deo nostro sentire.*

Quæstio hæc locum habet respectu prædicatorum, quæ concrete Deo tribuuntur: in his enim, cum significantur per modum compositi, ex eo, quo est, & quod est, habet locum hæc interrogatio, in abstractis vero nequaquam: abstracta enim significantur ut formæ, quibus res est: & idè non opus est indagare, quoniam sit Deus sapientia, aut iustitia: Porro ut notat D. Thomas 1. p. quæst. 37. S. Thom. art. 2. ablatiuus casus construitur in habitudine alicuius causæ: hæc vero habitudine ut obseruat Durandus in 1. distinct. Durand. 32. quæst. 2. num. 5. in ordine ad prædicatum, quod afficit, vel est principij efficientis, ut cum dicitur: *ignis adurit calore*, vel principij formalis, ut cum dicitur, *corpus candidum candore*, vel principij materialis ut cum dicitur, *corpus coloratum superficie*. Verum hic tertius modus non est aded vsurpatus neque inseruit ad institutum: duo priores maximè, qui traduntur etiam à Bonauentura in 1. distinct. S. Bonau. 32. dub. 3. & Gregorio distinct. 6. quæst. Gregor. vnica initio, & quidem forma habens habitudinem principij formalis habet se ad effectum, tanquam principium intrinsecum, qua ratione candor habet se ad candidum: quæ vero habet habitudinem principij effectiui, est extrinseca effectui, ut se habet intellectus ad intellectionem, potentia motiua ad motum localem: in Deo vero concipi possunt actiones ad extra, & ad intra, verbi gratia intellectio, & creatio. Quæstio ergo est vtrum dicat possit: *Deus voluntate intelligit, intellectu vult, per iustitiam miseretur, misericordia punit, per omnipotentiam videt, est magnificus, bone bonus, bonitate sapiens, &c.* Quæ denominationes reduci possunt ad duo capita: verum prædicatum est nomen, vel verbum: & vtrunque rursus duplex est, aut substantiuum, ut *Deus*, & verbum, est, aut adiectiuum, ut patet in reliquis nominibus, aut verbis.

Huic

III.

Huic quæstioni ita respondent nonnulli loquendo de actibus vitalibus Dei, vt dicant in sensu proprio, & de virtute sermonis, sicut Deus intelligit, per intellectum, ita intelligere per voluntatem: & similiter, sicut per voluntatem vult, ita etiam velle per intellectum. Ita docent Alliacens. in 1. quæst. 6. art. 2. ad secundam rationem. Adamus distinct. 6. quæst. 1. versus finem: Gregor. dist. 8. quæst. 1. art. 2. ad quartum. Andreas de Nouo Castro distinct. 10. quæst. vn. ad 1. contra 2. conclusionem & distinct. 32. quæst. 1. §. *Contra primo*, ad quartum principale, & Clypeus Thomistarum quæst. 10. in Porphyrium ad tertium Mayronij, quibus fauet Diuus Gregorius homil. 17. in Ezechiel. paulò ante medium, dum ait: *Omnipotens Deus, quia sibi metipso similis ea virtute videt, qua audit: omnia ea virtute creat, qua indicat creata.* Fundamentum est, quod attigit Richardus in sua dubitatione, nempe quia idem est in Deo intellectus, quod voluntas: atque adeò, si voluntate vult, etiam vult intellectu: nam fundamentum veritatis assertionis mentalis est identitas obiectiua inter prædicatum, & subiectum. Secundo idipsum colligi potest Syllogismo expositorio: vt enim constat ex superioribus, hæc propositio, *Voluntas diuina est intellectus*, est vera: sed hæc item est vera, *Deus intellectu intelligit*: ergo etiam hæc erit vera: *Deus voluntate vult*. Tercio quidquid verè affirmatur de subiecto, pro quo supponere potest aliquod prædicatum, affirmari etiam potest de prædicato: sed voluntas, & intellectus diuinus supponere possunt pro eodem: ergo quidquid verè dicitur de voluntate & intellectu, dicetur de utroque: & proinde si verè dicitur: *Deus voluntate vult*, dicetur etiam, *Deus intellectu vult*. Quarto in particulari probatur de propositione, qua prædicatur verbum, *est*, substantiue sumptum: quoniam in Deo non est nisi vnum tantum esse substantiale: & nullum accidentale: ergo, cum quælibet forma tribuat aliquod esse subiecto, quæuis perfectio diuina tribuet Deo esse substantiale simpliciter: & proinde verè dicitur, *Deus est sapientia*, siue, per sapientiam, est magnitudine, siue, per magnitudinem, & sic in cæteris: in creaturis vero, quia plurimæ formæ dantur esse accidentale, non verè dicitur: *Socrates est qualitate, aut magnitudine*, nisi addatur, *magnitudine magnus, &c.* in Deo vero ipsum esse sapientem, aut magnum est esse sim-

pliciter, aut esse Deum: quare verè potest de ipso dici nomen, & verbum substantiuium determinatum à quauis forma in ablatiuo casu.

Dico primum. Nomen, aut verbum substantiuium non verè dicitur de Deo, si ponatur in casu auferendi forma, aut ratio inadæquata ipsius esse, vel subiecti significati nomine substantiuo: exempli causa non verè dicitur: *Deus est magnitudine Deus, omnipotentia Deus, &c.* neque item: *Deus est sapientia, immensitate, iustitia.* Quæ assertio est vera, siue Deus sumatur, quatenus adæquate significat totam perfectionem diuinam absolutam, siue quatenus significat Deitatem, vt formam pure substantialem præcisam à proprietatibus essentialibus; si priore modo sumatur, ostenditur assertio: quoniam, vt subiectum dicatur esse aliquid per formam, tanquam quo est, requiritur vt forma sit adæquata ratio formalis concreti, quod dicitur de subiecto, nec sufficit, vt sit inadæquata: non enim verè dicitur: *Socrates est animalitate homo*: quamuis ergo quæuis ratio formalis positiua sit de intrinseca ratione Dei, quia tamen nulla seorsim sumpta est adæquata, non verè dicitur, *Deus est sapientia, intellectu, aut voluntate Deus*: Eadem ratio cernitur in propositione, qua enunciatur verbum, *est*, substantiue sumptum: nam cum esse Dei proprium sit indeterminatum, atque infinitum, nulla ratio particularis, prout ab alijs distinguitur, est adæquate forma ipsius, ac proinde per nullam, prout concipitur à nobis præcisa ab alijs, Deus adæquate, aut simpliciter est: exempli causa non dicitur simpliciter, & absque addito, *Deus intellectu est, aut volitione est*: Sed, *Deus intellectu est intellectiuus, volitione volens*: Si vero sumatur posteriore modo, suadet, quoniam nihil, quod concipitur à nobis per modum substantiæ, dicitur esse simpliciter per formam conceptam per modum proprietatis: Deus concrete significatus concipitur à nobis per modum substantiæ, perfectiones aliæ per modum proprietatum: ergo, prout ita concipitur, non potest prædicari addita in ablatiuo casu perfectione attributali abstracte significata. Maior est euident, quoniam omnis substantia habet suum esse simpliciter prius natura, quam intelligatur affici, vel informari à proprietatibus, quæ sunt formæ extrinsecæ nature subiecti: Socrates enim prius quam intelligatur affectus risibilitate est, & concipitur vt subsistens in humanitate, atque adeò

IV.

homo est ens simpliciter: & consequenter non est risibilitate homo: tunc enim non posset concipi homo, non concepta risibilitate: eodem modo cum Deum intelligimus tanquam subsistens in Deitate ut in forma substantiali, intellectum vero, & voluntatem, tanquam vitales proprietates, non possumus vere enunciare, *Deus est voluntate Deus.*

V.

Augustinus.

Dico secundum. Omnes propositiones, quibus tribuitur Deo aliquod prædicatum, & explicatur ratio, siue principium eius in casu auferendi termino neutrali, vel communi illi, & alijs rationibus, sunt veræ: hæc probatur auctoritate D. Augustini in quæstionculis de Trinitate ubi ad quæstionem: *an aliquid distet in Deo esse, viuere, intelligere, posse*: respondet non differre: *quia Deus eo ipso, quo est, uiuit: & eo, quo uiuit, intelligit, & eo, quo intelligit, potest: & eo, quo potest, est*: ubi nostro modo intelligendi, quatuor sunt effectus, quasi formales, nempe esse, viuere, intelligere, posse: qui omnes ratione distinguuntur, & habent formas abstracte significatas ratione distinctas: scilicet essentiam, qua Deus est: vitam, qua uiuit, intellectum, quo intelligit: potentiam, qua potest. Et quamuis aliquis respondere possit vitam, & essentiam esse rationes formales subordinatas, & consequenter posse sumi tanquam rationes earundem de nominationum: quemadmodum animalitate homo non solum est animal, sed etiam viuens, non tamen soluitur argumentum: quandoquidem licet admitti possit per formam inferiorem habere subiectum effectus formales, & denominationes superiorum, quas includit, non tamen de conuerso: non enim homo vita sentit, quia vita est ratio communis vegetabilibus, & sensitiuis, & proinde non est id, quo res est sentitiua: at vero D. Augustinus ait Deum eo ipso, quo est, viuere: vita autem est ratio inferior respectu essentia: Accedit quod vita, & intellectus, intellectus & potentia non se inuicem includunt: & tamen idemmet sanctus ait Deum eo, quo uiuit, intelligere: & eo, quo intelligit, posse: & eo, quo potest, esse: quare non respexit ad subordinationem rationum formalium, sed ad identitatem earum inter se: quo etiam respexit cum lib. 7. de Trinitate cap. 1. dixit Deum hoc ipso esse: quo sapiens est, & non alio magnum, alio Deum, sed eo magnum quo Deus: & cap. 2. *Sapientia*, inquit *eo quo essentia*: & serm. 38. de tempore, qui est tertius in Dominica infra octauam Epiphaniæ: *Nec Deo, inquit, aliud*

est esse, aliud magnum esse, aliud bonum esse: sed eo, quo magnum est, & bonus est: facit etiam pro hac eadem assertionem D. Gregorius S. Gregor. citatus, cum dixit Deum ea virtute, qua uidet, audire & creare: siquidem intellectus & potentia creandi non sunt rationes subordinatæ mutuo inclusæ una in altera, sed conueniunt in totali ratione formali virtutis, siue potentia diuinæ, cuius identitas indicatur, cum dicitur, *ea virtute, qua uidet, creat*: sub qua tamen sunt particulares rationes formales, quibus tribuuntur diuersi effectus: Tandem hanc eandem conclusionem confirmant verba Bernardi serm. 80. in cantica post mediu- Bernard. dum; quæ sic habent: *Nec aliunde bonus, quam unde magnus: nec aliunde iustus, ac sapiens, quam unde magnus, ac bonus: nec aliunde deniq; simul hæc omnia, quam unde Deus: & hac quoq; nonnisi se ipso*. Probatur autem ratione, quoniam sensus huius propositionis, *Deus eo intelligit, quo potest*, ita exponitur, Deus ea forma intelligit qua potest, termini enim, *eo, & quo*, neutraliter sumpti supponere possunt pro perfectione omni diuina cui conuenit prædicatum, unde supponunt pro diuina essentia, quæ adæquate sumpta est forma, qua Deus est, intelligit, potest, &c.

Dico tertium. Propositiones illæ, in quibus ponitur in ablatiuo casu perfectio abstracte sumpta, tanquam ratio formalis concreti, aut tanquam principium, quo operationis, non sunt simpliciter veræ, nisi formale significatum nominis sub ea præcisâ ratione sit ratio formalis concreti, aut principium quo operationis. Exempli causa: Hæc non est vera simpliciter, *Deus est bonitate sapiens, æternitate iustus, iustitia misericors*: neque item hæc, *Deus voluntate intelligit, intellectu vult, misericordia punit*: ita expresse Henric. in sum. art. 75. quæst. 2. Henric. ad 14. principale, & ad 7. in oppositum. Torres i. p. quæst. 28. art. 2. disp. 2. dub. Torres. vlt. ad tertium, & est de mente Agidij in Agid. i. dist. 6. quæst. 1. dicentis huiusmodi propositionem, *Deus per naturam vult*, & similes esse falsas: propositio enim illa habet vim ablatiu casus, Gabriel item in i. dist. Gabriel. 2. quæst. 1. art. 3. dub. 4. negat hanc, *Deus intelligit per voluntatem*. Fundamentum est quoniam forma abstracte significata, & posita in casu auferendi modificat prædicatum, & ideo proponitur tanquam propria ratio formalis ipsius, si sit nomen: ut enim docet D. Thom. i. p. quæst. 37. art. 2. cum res communiter denominentur à suis formis ut album ab albedine, homo ab humanitate: omne illud, à quo aliquid denomi-

denominatur, quantum ad hoc habet habitudinem formæ: si vero prædicatum sit verbum, forma significata casu auferendi proponitur, vel tanquam ratio eius intrinseca, vt cum dicitur homo intellectu intelligit, aut tanquam principium, quo agendi: ratio autem formalis non consistit in materiali significato, sed in formali: ergo quotiescunque formale significatum ex sua præcisa ratione non sufficit vt sit id, quo aliquid est, vel agit, propositio habens à parte prædicati: in casu auferendi nomina abstracte sumpta, nequaquam erit vera, hoc vero modo le res habet quoties significatum formale nominis concreti & abstracti, est disparatum, vt si comparatur iustum & misericordia, sapiens & iustitia, &c. Nam significatum formale sapientie, non est ratio formalis cur Deus sit iustus: neque significatum formale iustitie, est ratio cur Deus sit sapiens: sapientia enim non significat formaliter iustitiam, quæ est forma intrinseca iusti, nec iustitia significat formaliter sapientiam, quæ est ratio formalis intrinseca sapientis: ergo non verè dicitur: *Deus est sapientia iustus, aut iustitia sapiens*: Eademque ratio militat, quando nomen abstractum ponitur vt principium quo agendi: cum enim ita loquimur, volumus exprimere proximam, & immediatam formam, quæ est subiecto ratio operandi: atque adeò nomen debet illam formaliter significare: Probatur consequentia, quoniam formale significatum potius stat pro eo, quod operatur, quam pro ratione operandi: si ergo propria operandi ratio est præcisa, saltem conceptibiliter, ab alijs perfectionibus, falso nomina aliarum, quæ illam formaliter non significant, quantumvis sint idem, & conueniant in materiali significato, ponentur in ablatiuo casu tanquam rationes agendi, aut tanquam principium quo, & ideò hæc est falsa: *Deus voluntate intelligit, intellectu vult*. Quoniam sensus est, intellectus est Deo ratio volendi, & voluntas est Deo ratio intelligendi: quod est falsum.

VII. Ex his patet solutio ad argumenta. Primum enim fundamentum solum concludit similes propositiones admittere aliquam veritatem in sensu identico. Verum quoniam inter illas sunt nonnullæ, quæ solum admittunt formalem, in quo sunt falsæ, vt dictum est, respondetur ad veritatem propositionis in sensu formali, non sat esse identitatem inter extrema, vt patet ex dictis: sed requiri præterea modum significandi aptum, quo non signi-

ficientur prout sunt distincta ratione: intellectus autem & voluntas prout à nobis præcisè concipiuntur, important distinctionem rationis, sub qua non potest tribui vni id, quod conuenit alteri, quatenus ab eo distinguitur, & quoniam esse formaliter id, quo Deus intelligit, conuenit intellectui secundum præcisa rationem, qua distinguitur à voluntate, non sequitur ex identitate actuali, si Deus intelligit intellectu, intelligere quoque voluntate. Ad secundum respondetur cum Egidio in 1. distinct. 33. in 2. *Egid.* p. princip. quæst. 1. & alijs communiter: ex præmissa vera solum in sensu identico non posse colligi consequens verum in sensu formali, vt patet in hoc Syllogismo: *Pater generat: essentia diuina est Pater: ergo essentia diuina generat*: vbi assumptio est vera in sensu identico, & consequens, quod admittit solum sensum formalem, est falsum: ita vero se res habet in Syllogismo expolitorio, qui in argumento adducitur: nam illa maior: *voluntas diuina est intellectus*: est solum vera in sensu identico, & ideò consequens, quod exigit sensum formalem, est falsum. Ad tertium respondetur maiorem esse veram de affirmatione simplici, non vero de formali, vel sub aliquo modo: namque animalitas supponere potest pro humanitate, de qua in recto prædicatur, & tamen verè dicitur Socrates humanitate est homo: falso autem Socrates animalitate est homo. Ad vltimum respondeo recte concludere re ipsa eandemmet formam realem, quæ dat esse sapiens, dare esse simpliciter: hoc tamen non sufficit, vt verè dicatur: *Deus est sapientia, immensitate, vel iustitia*: quoniam nos his nominibus non exprimimus formam Dei adæquate secundum quod est in se, sed prout à nobis concipitur sub præcisa ratione sapientie, immensitatis, vel iustitie, quæ quamuis re ipsa det esse simpliciter, concipitur tamen, & significatur, vt solum dat esse sapiens, immensum, iustum, &c. & ideò non verè dicitur: *Deus est immen-*

sitate, voluntate, &c.